

Quando Faventini miserunt^e milites in Apuleam.

CAP. CLXXXXII.

Anno Domini MCCXXV^{III} mense decembris^e miserunt iterum Faventini in servitium domini Papae in Apuleam xxvii milites^e cum aliis de nostra Lombardorum societate [A].

Quando episcopus [a] Populiensis terras Ecclesiae in protectionem Faventinis concessit, ut eas defenderent.

CAP. CLXXXXIII.

Sub anno a Virginis partu MCCXXX, cum Populiensis episcopus [b] terras Ecclesiae, scilicet castra Sugloli^e et Basini, medietatem Vallis Archae^e [A] [B] a Livienisibus nequiret defendere, Faventinis in protectionem concedere non dubitavit; quae habita manutenere et defendere et de omnibus promixerunt, sicut et rocham Sancti Cassiani; et essent praedicti [c] perpetuo cives.

Quando imperator Fredericus fecit moram apud Ravennam per III menses.

CAP. CLXXXXIV.

Anno Domini a Virginis partu MCCXXXI, cum per tres menses dominus imperator moram apud Ravennam fecisset, et cardinales Romanae sedis [f] cum Lombardis pacem tractarent, Lombardorum societas volens [g] civitatem Faventiae propriis de-

[a] Quando episcopus etc. Titulus deerat in Codd. — [b] Populiensis episcopus, C. M.; Populiensis episcopatus, C. V. — [c] Sugloli. Sic Codd. — [d] Vallis Archae. Sic Codd. — [e] essent praedicti. Tondutius intelligit, Faventinos civitate Foropompilii donatos. — [f] Romanae sedis, C. V.; Romanae sedis, C. M. — [g] societas volens. Deest verbum principale.

[A] Hoc anno 1229, teste cl. Ginannio, sapientes Ravennae fecerunt concordiam cum Cerviensibus, ex quibus quadraginta deberent esse cives Ravennae. Charta prostat in Archiv. Archiep. Raven., signata ann. 1229, L. 5129.

[B] Non confundatur vallis Archae isthaec cum loco qui dicitur Archa, quique memoratur in quadam charta anni 1228, in animadversionibus ad n. 106 allata, tamquam inter Cunium Faventiamque constitutus.